NONNULLA
DE THERAPIA PNEUMONIAE
ATQUE
USU PLUMBI ACETICI IN HOC MORBO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS KAUL

POSTAMPIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. WEGELJ, MED. ET CHIRURG. DR.

H. NEUMANN, MED. ET CHIRURG. DD.

A. OPPELT, MED. ET CHIRURG. CAND.

BEROLINI,

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0165

VIRO

CLARISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

H. G. KNIPFER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, OCTAVAE CATERVAE TORMENTARIAE MEDICO PRIMARIO ETC.

AC

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS, SUMMOPERE VENERANDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Tiro artis medicae novi quidquam dissertatiuncula hac nec proferre possum nec volo; apta experientia et doctrina carens, quod a viris in medicina haud parvi nominis et eruditissimis late expositum est, id denuo elaboratum et refictum referam. Ex rebus exploratis, a quibusdam effrenata laude quasi in coelum sublatis verisimillima et vera critico quodam modo discernere et dijudicare, ut opusculo meo quandam utilitatem comparem practicam, mihi propositum est. De usu igitur plumbi acetici in pneumoniis observationes nonnullas afferam. Quo autem magis nova remedia novaeque curandi methodi collaudantur et commendantur, eo minus iis haud dubiam fidem, proh dolor! habere nos posse, quis est quem fugerit? Verumtamen necesse est fide, veritate et experientia comprobata servari et teneri.

Cel. Ritscher methodo pneumonias curandi, nunc satis cognita, de therapia hujuscemodi morbi

magnopere meritus est, quem secuti sunt Berger, Krueger-Hansen, Scharf, Chevalier, Henckel, Duerr, Canstatt, Eck, Wolff, Knipfer. Clar. Dr. Knipfer benevolentia Confluentiae anno praeterito duos vidi aegrotantes, unum in nosocomio militari, alterum inter urbis cives, qui plumbo acetico cum opio et digitali conjuncto e summo pneumoniae acumine in integrum sunt restituti; quamquam antea de eorum vita summo jure est desperatum, nunc quidem optima valent valetudine.

Hac igitur dissertatione inaugurali de methodis pneumoniam curandi, de diversorum praestantia remediorum nonnulla verba faciam; at methodum plumbum aceticum rite et feliciter adhibendi, latius atque historia morbi adjecta perscrutaturus sum.

Quantis dissertatio vitiis laboret, minime me latet, sed magnam eorum partem in argumenti difficultate positam esse arbitror. Itaque hanc, benevole lector, ut animo amico respicias, quaeque occurrant vitia, ne Lyncei oculis persequaris, etiam atque etiam te rogo. Vale.

DE SANGUINIS DETRACTIONIBUS IN PNEUMONIIS.

Summo jure principem in sanandis pulmonum inflammationibus venaesectio tenet et tenebit locum. Quid est, quod velimus venaesectionibus, quando quotiesque sunt instituendae et requiruntur? Quaerimus, quo in stadio pneumoniae quam maximam et certissimam afferant venaesectiones utilitatem? Hoc vero tum demum elucere arbitramur, quum stadia morbi accuratissime distincta sint. Sequamur igitur Williams et Stokes et Laennec, qui hanc materiam accuratissime inquisiverunt.

In stadio primo pneumoniae initio turgescunt sanguine pulmonum arteriae, plenaeque venae tument, orgasmus sanguinis et hyperaemia pulmonibus inest, tum undantur sanguine vesiculae pulmonum, quae circa structuram anatomicam usque ad id tempus sunt incolumes. Aegrotus doloribus pungentibus, vehementer vexantibus, dyspnoea cruciatur, sua sponte tussit vel inspirationibus tussim excitat, tussi sputa ferruginosa summo cum labore

et dolore ejicit, adest febris vel sthenica vel asthenica, respiratio vel accelerata vel intercepta et laboriosa. Si percutis thoracem aegrotantis, obtusum, non sonorum locus affectus praebet sonum; murmur respiratorium debile, imprimis vero rhonchum crepitantem auscultatio nos docet.

In stadio secundo sputa ejiciuntur vel mucosa vel serosa, aut cessant. Febris deminuitur paullum, pulsus non idem restat fortis, se praebet semper frequentem, celerem, saepe filiformem. Dyspnoea non minuitur, rubet interdum facies vel coeruleum accipit colorem. Exsudatio subintrat in cellulas pulmonum, ita ut omnis pulmo vel locus ejusdem affectus quasi hepar appareat, ad respirationem non aptus (Williams: ramollissement rouge). Percussione sonum obtusum percipis, et auscultatione in loco affecto respirationem bronchialem sine rhonchis mucosis et sine murmure respiratorio. Hoc in stadio si splenisatio longe lateque per pulmones extenditur, saepenumero mors functione pulmonum laesa subsequitur, qua non ingruente

Stadium tertium (Laennec: hépatisation grise) init, in quo pulmo aegrotus materia puriformi infiltratur, quae primum tenax et subliquida, deinde in pus verum liquefit; insequitur febris hectica et suppuratoria, horror et horripilationes, sudores colliquativi, brevi tempore mors.

Qui cum sit decursus pneumoniae, quaeritur, quid valeant detractiones sanguinis in stadiis ultimis? Nihil valent; quia nunc non est sanguis ipse, qui affert incommoda et laesam pulmonis functionem, sed exitus inflammationis et producta, quae ex stasi sanguinis in vasis capillaribus evadunt, mutataque pulmonum structura.

Cum stadium primum adest pneumoniae, cum congestio et hyperaemia in pulmonibus, cum turgescunt vasa pulmonis affecti, cum exstant omnia primi stadii symptomata, tum aptum venaesectionis tempus apparet. Sit magna venae quae secanda est apertura. Magna enim et celeri sanguinis detractione fluxus et circulus sanguinis mutatur, quo fit ut vitium totius morbi inflammatorii mechanicum removeatur, nec raro morbus ipse tollatur. Sequitur depletio vasorum turgentium, hyperaemia, congestio sanguinis vel imminuitur vel evanescit, aeger dolorem vexantem et tussim molestam vel paullulum vel non accusat et una venaesectione pneumonia nonnunquam profligata est. At ubi adest oppressio pectoris, ubi exstat tussicula, qua aliquid sanguinis eliminatur atque auscultatio respirationem reddit crepitantem, tum venaesectio iteretur necesse est, etiam crusta phlogistica sanguinis et febri evanida, etiam quinto vel septimo die praeterlapso, etiam crisibus subintrantibus. Densae crustae pleuriticae phaenomena ac pulsus fortis et durus sanguinem detrahi jubent, donec minimum liberior et facilior reddatur respiratio, quippe praestat aegrum debilem sanari quam fortem mori. Non faveo equidem vampyrismo illi (quo primus Bouillaud mactatoris modo in Francogallia furuisse dicitur), neque enim antiphlogosis quam severissima resolutionem inflammationis longe extensae, in stadium exsudationis protractae, afferre potest; exstinguere debet vires ad tardam solutionem non sufficientes, et anaemia et exinanitione mors adducitur. Miserum cor, miserae arteriae usque ad exinanitionem saepissime sunt depletae, ut tabescentia remaneret aegroto et reconvalescentia quoque modo prolongata haud

raro dira finiretur morte. Ex Stockes[1]) judicio venaesectio initium et praeparatio therapiae sequentis in pneumonia esse videtur, minime summum et unicum sanandi aegroti remedium. Venaesectionibus enim quam saepissime iteratis pulmonum morbus mutatur, mutatisque formis et symptomatibus pneumonia exquisita in pneumoniam occultam vertitur: tussi, dyspnoea et febri sublatis aegrotus sanatus apparet, dum adest morbus localis hujus organi et pulmo ipse vel condensatur vel in degenerationem vertitur.

Ex his, quae modo disputavimus, elucere arbritramur, in primo tantum pneumoniae stadio venaesectionem bono cum successu instituendam, fluxumque sanguinis tum majorem esse oportere; at stadio primo praeterlapso, cum jam adsint exsudationes in pulmonibus, nullo modo illam esse repetendam.

Denique quis est, qui nunc in pneumonia typhosa (pneumotypho Eisenmanni) venaesectionem instituat? Colliquationibus per tractum intestinalem et per cutem dyscrasia sanguinis typhosa vires exhaustae summaque corporis debilitas est. Plerumque post venaesectionem sensim diem obiisse aegrotum nemo ignorat. Hac in pneumoniae tam letifera forma remediis internis et externis, ut resolutio contingat, provideamus.

Locales sanguinis detractiones hirudinibus et cucurbitulis cruentis institutae venaesectionum efficacitatem ad-

---

[1]) Wilhelm Stockes, Abhandlungen über Diagnose und Behandlung der Brustkrankheiten; aus dem Englischen von Gerhard van dem Busch. Bremen 1838.

juvant. Auscultatio exacta sensim sensimque in dies a loco affecto detrahere sanguinem nos docet.

Detractiones sanguinis immediatum semper effectum habent; est tamen sanandae pneumoniae *methodus indirecta*, simul cum directa instituenda: haec est methodus derivationis, ex ea physiologica lege pendens, ut irritamentum organo, quod affinitate quasi quadam physiologica vel anatomica cum irritato est junctum, applicatum sanguinis fluxum derivet.

Quem ad finem duo existunt remediorum genera.

Primum *remedia, eorum secretionis organorum adaugentia secretiones, quae contrariam habent anatomiam vel physiologiam cum organo inflammato*, velut organa respiratoria cum chylopoëticis.

Respondeant haecce remedia et naturae inflammationis et febri concomitanti necesse est; *remedia antiphlogistica* nominantur, quorum commoda et incommoda breviter exponamus:

Kali nitricum, Natron nitricum.

Non sunt remedia specifica in pneumonia, verumtamen sunt antiphlogistica, secretionem renum adaugentia. Dentur in dies 3ii — 3iii — $\bar{3}\beta$ in decocto althaeae $\bar{3}$vi. Caveas a majore remedii dosi, quum systema chylopoëticum facillime afficiatur, nec raro gastritis vel enteritis ex abusu nitri evadat. Senibus remedium hocce ne detur, quia eorum chylopoësis paullum semper debilitata et a natura laesa est, et ex remedio, quamquam pulmonum inflammatione sublata, facile marasmus senilis

prodit. Quoque modo nitrum usque ad id momentum adhibere licet, ubi lingua fit squalida, appetitus ciborum minutus paene evanescit, et oppressio existit in scrobiculo cordis.

Principem remediorum antiphlogisticorum recentiori tempore in sanandis pneumoniis obtinet locum remedium sequens.

Tartarus stibiatus.

Proximus tartari stibiati est excitans, specifico modo alterans effectus in nervorum abdominis plexum s. d. solarem, plexum coeliacum, unde propagatur in universum organismi systema nervosum per multiplicem nervorum abdominis cum reliquis connexum. Singularis tensionis, plenitudinis atque aucti quasi caloris animalis sensus in regione epigastrica et mesogastrica oritur. Sequuntur alia symptomata specificam nervorum alienationem indicantia: ingratus totius corporis sensus tensionis cum artuum dedolatione, appetentia ciborum minuta, ciborum taedium, nausea, vomituritio, vomitus.

Crudas primarum viarum sordes, praesertim mucum tenacem, infarctus resolvit, immobiles reddit mobiles ita quidem ut vel sursum, vel deorsum turgescant, nec minus impedit, ne iterum oriantur, vitiosam primarum viarum indolem corrigens. Expellit sordes, si sufficiens dosis adhibetur, vel per os, vel per anum, ea ratione ut specifica ventriculi excitatio, motus antiperistalticus, aut intestinorum motus peristalticus auctus cum largiori muci intestinalis secretione oriatur, unde aut vomitus aut diarrhoea.

Varii ac multi sunt effectus ex usu tart. stib. interno secundarii, ut in omnia fere organa agere videatur. Secretiones fere omnes, praecipue serosas, aquosas aut mucosas adauget, properat.

Incitatione plexuum abdominalium a remotis nervorum plexibus organoque centrali antagonistice derivat; derivatoria ratione universi systematis irritabilis actionem deprimit, nimiam cordis, arteriarum, musculorum energiam minuit; secretionibus omnibus auctis morbosa corporis irritamenta removentur, inflammatoriae humorum stagnationes tolluntur, exaequantur, liquefactionis (sit venia verbo) processus augetur, quare deprimens, debilitans, antiphlogisticus tartaro stibiato inest effectus.

Diuresim auget tart. emet., quod intercedente inter coeliacum, mesentericum et renalem plexum maximo connexu, a primaria ventriculi irritatione, per consensum ad renes propagata derivare possumus; attamen addamus, quum et aliae multaeque secretiones augeantur, omnino materiarum vicissitudinem in organismo universo accelerari.

Insignem diaphoreticam vim exercet simili modo, quo quamque secretionem auget.

Expectorationem quoque movet tart. stib. usus: primum sympathica pulmonum incitatio provocatur, inde a plexuum abdominalium excitatione proficiscens, ex sat noto inter eos connexu nervoso; deinde mucosas secretiones auget, tenacem mucum resolvit; tum bronchiorum ac pulmonum inflammationem antagonistico modo derivare, sedare mucosam eorum secretionem, nimia vasorum irritatione suppressam aut alienatam reficere movere, corrigere, crisim per sputa adjuvare dicitur.

Oesterlen[1]) de usu tartari stibiati in pneumoniis haecce ait: „Tartari stibiati effectus in pneumonia a permultis medicis diligenter et accurate observabantur atque comprobabantur (Rasori, Peschier, Laennec, Trousseau, Louis, Bouillaud, Teallier, Balfour, Macartney, al.). Egomet ipse, postquam eos saepius cognovi, illis viris consentio; quamvis id, quod observavi, in periculosissimis tantum casibus fieret, tamen hac re magis demonstratur quam levioribus hujus morbi casibus, qui sunt sanati. Quidam in hoc sanandi modo venaesectiones supervacuas, quin etiam perniciosas esse contendunt, quod vim tartari emetici impediat. Quum autem aliorum measque observationes diligenter inquirerem, id in quo optimi quoque clinici mecum consentiunt, utilissimum esse intellexi: ante omnia primum sanguinem quantitate sufficiente mittere, deinde tartaro stibiato uti, vel statim ab eo incipere. Datur dosis media gr. i — ii in aqua solutum omni bihorio cochlear. Levioribus casibus post quinque vel sex doses remedium intermittitur et postero die denuo porrigitur; in urgentibus et gravissimis casibus continuatur, ita ut horis viginti quattuor usque ad quadraginta grana tartari stibiati adhibeantur. Raro fit vomitus vehemens, saepius diarrhoea, fere semper sudamina profusa; pulsus redditur rarior, mollior atque minor, respiratio levior et rarior; deinde auscultatio, percussio, sputa et alia talia benignas pulmonis parenchymatis permutationes indicant. Quo

[1]) Dr. Friedr. Oesterlen, Handbuch der Heilmittellehre. Tübingen 1845.

facto doses tartari stibiati gradatim comminuantur necesse est.

Perraro hac sanandi ratione glossitis, inflammatio tunicae mucosae oris, pustulosis et exulceratio in his partibus fiunt. Si in hominibus maxime dispositis vehementissimus vomitus, diarrhoeae profusae, convulsiones, spasmi provocantur, simul opiata dantur atque remedia maxime idonea extrinsecus adhibentur. Ita casus illi plerumque evanescere solent et tartarus stibiatus nihil affert incommodi. Quod si viginti aut triginta horis praeteritis non factum erat, tum tartaro stibiato nullo modo uti possumus."

Verum secundum leges physiologicas in omnibus pneumoniis sthenicis natura remediorum emetica perniciosam vim exercet, quod vomitu semper congestiones et affluxus sanguinis in pulmones augentur, et ut a Ritscher [1]) et Cel. Froriep [2]) contenditur, post usum tart. stib. internum idem fit in membranis mucosis, quam si illinitur unguentum tartari stibiati in cutem. Primum erythema oritur, deinde papulae, quae postremo magis magisque elatae lympha vel pure implentur, ita ut variolarum vaccinarum speciem prae se ferant, vehementer prurientes, urentes, halone inflammato circumdatae, deinde exsiccescentes ad crustas deciduas. Qui processus cum in mucosa intestinali gignitur, semper ingratus adeoque exitiosus esse potest, quod non modo Froriep et Ritscher, sed etiam permulti accuratissimi observatores

---

[1]) **Ritscher, Beitrag zur Pathologie und Therapie der Lungenentzündung. Rust's Magazin T. 39. pag. 403.**

[2]) **Froriep, Notizen T. 32. pag. 356.**

videbant. Eodem modo vis ptyalectica tart. stib. saepius detrimentum affert periculosissimum. Pustulosis in tunica mucosa faucium, oesophagi, ventriculi, tractus intestinalis, vel anginam efficit vehementissimam, vel inflammationes et exulcerationes tractus intestinalis: unde fit facillime phthisis intestinalis, superirritatio atque paralysis intestinorum.

Sed quamvis saepissime exitum optimum pneumoniae tart. stib. tractatae viderimus, tamen in adhibendo hoc remedio non omnem curam et diligentiam seponere nobis licet. Ex omnibus antea abunde tractatis in hoc remedio administrando, quae sequuntur, respiciantur: irritatio atque inflammatio tunicae mucosae intestinalis, vel ejus dispositio, organa chylopoetica per quam irritabilia, diarrhoea, aetas aegrotantis provectior. Ill. Schoenlein tartarum stibiatum senibus facillime organorum chylopoëticorum marasmum parare memorat; sed ne hoc remedio viribus aegri admodum debilitatis utaris, caveas, neque dosim valde deprimentis hujus remedii nimiam adhibeas, ut damna manifestissima vitentur.

Iis, quae supra retulimus remediis organorum, quae secretionibus praesunt, functio cum augetur, a partibus inflammatione affectis sanguinis affluxus derivatur. Aliam medendi rationem secuti *secretionem artificialem* in thorace excitamus eo consilio, *ut irritatione in hoc loco provocata sanguinis affluxum a loco affecto deducamus*, quem ad finem et *vesicatoriis* et *moxis* utimur. Ne tamen hac medendi ratione aegrotis detrimentum affera-

mus, accuratius eorum conditionem respiciamus necesse est. Optimo cum successu applicantur:

1. In inflammatione circumscripta, cum medicamentorum, quae attulimus, vis ad parvum tantummodo locum pertineat.

2. In pneumoniis lente progredientibus, si, ne exsudationem illae efficiant, curamus.

3. In pneumoniis acutis methodo antiphlogistica, si primum eumque vehementissimum inflammationis impetum repulerimus, quo facto lentiorem ac mitiorem cursum subsequi videmus. Sed in pneumoniis, quarum febris concomitans characterem synochicum prae se fert, novo irritamento irritatio vasculosa etiam magis magisque augetur.

Jam ad alium remediorem ordinem transeamus, *quae ad permutandam sanguinis crasim pertinent, itaque chemicam morbi partem tollunt.* Praecipue absolutam albuminis et fibrinae quantitatem, itaque sanguinis plasticitatem imminuunt.

Mercurius dulcis s. Calomel.

Hujus praeparati usus tum imprimis indicitur, cum imminent et expectandae sunt in pneumoniis exsudationes, si adest transitus stadii primi pneumoniae in stadium secundum, neque minus durante stadio secundo i. e. hepatisatione. Angli primi hocce in pneumoniis usi sunt

remedio, idque vehementer laudaverunt et commendarunt putantes, tum pneumoniam exstinctam esse, cum emergant ptyalismus et alia hujus generis morbi mercurialis symptomata: id quod ego ipse non omnino verum esse arbitror.

Calomelanos effectus antiphlogisticus parvi tantum momenti est, minoris quidem quam tartari stibiati. Quo major febris accedit, tanto plus organismus hydrargyro quasi resistere videtur. Symptomata mercurialia eo facilius apparent, quanto magis febris minuitur. Gingiva solvi potest, foetor mercurialis ex ore redolere atque effectus optatus contingere videtur: sed paucis horis post gingiva durescit, foetor mercurialis cessat. Tum symptomata vulgo infausta cernuntur, quibus decrescentibus, salivatio rursus incipere videtur; quae mutatio saepe ter vel quater accidere potest. Salivatio vero genuina nunquam evenire videtur; si evenerit, persaepe et certissime exitus lethalis sequitur. Permagnum vero levamentum et auxilium effectus antecedens tart. stib. vi calomelanos afferre videtur. Si autem Hamilton medicus Scoticus, et postea Vogel et Horn methodum specificam et promptissimam contra omnes, praesertim contra pulmonum inflammationes in eo ponunt, ut apta sanguinis quantitate venaesectione missa, singulae calomelanos cum opio conjunctae doses dentur tam ad exsudationes tollendas, quam ad nervosum inflammationis quasi factorem calmandum, simulque ad noxios calomelanos effectus accessorios corrigendos: hoc facilius quidem litteris mandari atque doceri, quam vita et usu confirmari potest. Contra calomelanos aliaque hydrargyri praeparata semper diuturniore usu cachexiam et universum morbum mer-

curialem producunt, imprimis si organismo parum roboris atque valetudinis inest, ut has materias alienas atque sibi inimicas removeat. Sunt quoque quaedam cautelae corporisque conditiones, quae calomelanos usum vel restringi vel arceri jubent. Status inflammatorius hypersthenicus, erethismus systematis vasculosi insignis, constitutio debilis, sensilior, ad spasmos asthenicos et nervorum affectiones opportuna, hypochondria et hysteria, propensio ad haemorrhagias, potissimum haemoptysin, dispositio phthisica manifesta, habitus tenerrimus, aut leucophlegmaticus, graviditas, senectus, nimia ventriculi et intestinorum irritabilitas, prae ceteris indoles scorbutica et putrida, generatim mercurii usum vetare putantur. Corpora obesa, spongiosa, plethorica cum fibrarum laxitate, nec minus spirituosis dediti homines, minus bene sustinent hydrargyrum [1]). Quis est, quin hisce conditionibus optet, fore ut hoc remedium periculosum et infestum quam saepissime in pneumoniis prorsus negligere possimus?

Narcotica.

Pneumonias narcoticis tantum adhibitis nullo modo funditus tolli posse; singula vero morbi phaenomena excessiva mitigari contendo. Nam praeter sanguinis mutatam crasim in omnibus inflammationibus, ergo etiam

---

[1]) Sundelin, Handbuch der speciellen Heilmittellehre. T. I. pag. 218.

in pneumoniis sensationem alterari, itaque systema nervosum affici putemus necesse est, id quod partim aucta reactione contra causam morbum efficientem (hoc loco tussim) conspicitur, partim sensatione mutata, qua disharmonia inter totum organismum et organum aegrotum agnoscitur, h. e. dolore, hoc loco oppressione et ictibus in pectore. Major reactio est semper denuo inflammationis causa, quam methodus sedativa sedet, usu quidem narcoticorum, quae summa prudentia, accuratissima diligentia ex statu systematis vasorum et ex generali reactione eligenda sunt: ea adhibeantur, quae simul sanguinis crasim mutant, quae igitur ad chemismum morbi pertinent, nempe belladonn., hyoscyam., acid. hydrocyan. narcoticaque, quae continent amydon. Opium non adhibendum, si pneumonia adhuc vehemens est, hoc enim remedium secretiones, praecipue alvi dejectiones inhibet. Opinio Rasorii, auctoris contrastimuli, in hac methodo modum excessum esse demonstrat: narcotica sine sanguinis detractionibus, methodum igitur sedativam funditus inflammationi mederi posse. Hic medicus narcotica ingentibus dosibus dat, ex. grat. aq. laurocer. ʒII pro dos., extracti aconiti ℈I et alia ejusmodi.

Sola narcotica nullo modo inflammationi unquam mederi possunt; opinio ista quamvis nonnullis exemplis affirmata, nunc accuratissime explorata est. Casus ad hanc rem comprobandam prolati, minime genuinae inflammationes, plerumque nervorum affectiones omnis generis erant. Narcoticis vero optimo cum successu ad reprimendam pneumoniam uti licet, non solis, sed additis supra nominatis remediis antiphlogisticis cum cautelis necessariis, quo facto summam haud raro afferunt utili-

tatem. Praecipue digitalis in infuso cum cali nitrico in pneumoniis adhibetur, prospereque in pneumoniis sthenicis, ubi haud raro adsunt vehementes cordis palpitationes exorbitantesque arteriarum pulsationes, quae mitigantur.

In pneumoniis asthenicis sic dictis typhosis nunquam praebeas narcotica, quoniam tristem dyscrasiam sanguinis typhosam etiam audaugeant, summamque debilitatem atque virium collapsum efficiant.

Plumbum aceticum.

Licet omnia haec summis laudibus ab illustrissimis medicis iterum iterumque elata in sanandam pneumoniam impendantur remedia, aegrotus tamen morti vix et ne vix quidem eripi posse videtur, sive suffocationi succumbat, quod in ultimo hujuscemodi morbi stadio haud raro accidit, sivi ex virium exinanitione diem obeat supremum, sive ex sequelis pneumoniae, phthisi pituitosa, febri hectica, aliis letiferis morbis mortem cum vita commutet. Quaero igitur ex medico etiamnunc venaesectiones usque ad exinanitionem et anaemiam instituente, etiamnunc nullis remediis nisi antiphlogisticis, salibus mediis, tartaro stibiato, calomelane, narcoticis et summis quidem dosibus utente: quaero, quod nunc accuratissimis experimentis et observationibus probatum, a viris summa laude dignis confirmatum, miro quodam modo certoque cum successu adhibitum est, nonne ad id confugere majoreque fiducia in usum vocare malit?

Plumbum aceticum dico, cujus ad sanandas pneumonias maxime cum opio et digitali conjuncti vim et virtutem nunc expositurus sum.

De vi physiologica atque usu therapeutico si dissererem, hujusce opusculi limites transgrederer. Adeas igitur l. b. libros de materia medica, et de noxiis saturni viribus saepe morbos dirissimos provocantibus legas opera infra citata [1]).

Usus saturni in pneumoniis est antiquus. Laudavit hunc Hundertmarkius, narrans nonnullorum aegrotorum historias, quarum una non silentio praetermittenda videtur. Filia annorum triginta sex laboravit inflammatione thoracis de tussis vehementia questa, sputorum frequentia et violentia pulmonum. Pulsus tremulus inaequalis, genae rubricundiores, oculi scintillantes, delirium cum risu perpetuo et vigiliae per octiduum ita corpus macerabant, ut ne quartam partem horae quidem dormiverit, aut fuerit modo quieta. Die decimo, quum patiens

---

[1]) De Hahn. Ratio medendi. T. III. pag. 73. T. X. pag. 4.
Stoll. Ratio medendi. T. II. pag. 240.
Mérat. Traité de la colique métallique. 2 édit. Paris 1812.
Romberg. Lehrbuch von der Nervenkrankheit des Menschen. Berlin 1840. pag. 130.
Tanquérel des Planches: Die gesammten Bleikrankheiten. Deutsch von Frankenberg und Narr. Quedlinburg und Leipzig 1842. T. I u. II.
Orfila. Allgemeine Toxicologie. Uebersetzt von Hermbstaedt. Berlin 1818. T. III. pag. 249.
Christison, M. D. Abhandlung über die Gifte, aus dem Englischen. Weimar 1831.
Hundertmark: Dissertatio de Sacch. Satur. usu interno salutari. Act. nat. cur. Vol. 7. append. pag. 109.
Osann. De Saturni usu medico maxime interno. Jenae CIↃIↃCCCIX.
Oesterlen Dr. Fr., Handbuch der Heilmittellehre.

medicamina sumsisset, talis debilitatis visa est, qualis saepissime mortis ducitur prodroma. Nares enim acutae, tempora collapsa, oculi concavi faciem offerebant Hippocraticam, manus cum pedibus erant languidae, frigidae et sudor frigidus, largius omne corpus perfundens spiritusque summo cum stertore atque commotione pectoris vehementiore ductus, mortem quam proximam esse, certissima signa suppeditabant. Hic praescripsit, secundum exemplum Albini plumbum aceticum et revaluit aegrota. Alia insuper exempla similia narrat Hundertmarkius aeque bono cum successu plumbi acetici usu interno in integrum redacta.

Recentiore aetate itaque jure meritoque usum internum saturni in pneumonias laudarunt Ritscher [1]), Krueger-Hansen [2]), Canstatt [3]), Berger [4]), Cel. Eck, Wolff [5]) et Knipfer.

Ritscher, qui plurimas tradit morbi historias, tum saccharo saturni in pneumoniis usum esse elucet, quum

---

[1]) Rust's Magazin für d. gesammte Heilkunde. Berlin 1833. T. 39. pag. 397—480; continet historias morbi No. XXXV.

[2]) Dr. Krueger-Hansen:

1) Prüfung einiger neuen Kurmethoden des Typhus und verwandter Uebel. Guestrow 1838. pag. 159—160. 161, 162, 163—173.

2) Betrachtungen über das Verfahren bei Pneumonien. Rostock 1841. continens historias morbi No. LX.

[3]) Dr. Carl Canstatt, specielle Pathologie und Therapie. T. III. pag. 528.

[4]) Berger, Schmidt's Jahrbücher der gesammten Medicin. Jahrgang 1840. pag. 159—160. T. 27.

[5]) Sanitäts-Bericht für die Provinz Brandenburg vom Jahr 1842. pag. 60—64, tres historias morbi optimas continet.

periculose in mora, celebrataque artis praesidia et magna cum fiducia in usum vocata, exhausta et irrita essent remedia. Compositionis haec est ratio

R. Sacch. Saturn. gr. iii
Laud. liq. Sydenh. ℈i — ℥ß
Aquae cerasorum nigror. ℥vi
Succi liquirit. dep. ʒiß — ʒii

3 — 4 — 5stündlich einen Esslöffel.

Vel loco aquae cerasorum:

Inf. herbae digit. (℥ß) ℥vi.

In omnibus et gravissimis pneumoniae casibus, quos citat Ritscher et Cel. Fok et Berger, adhibita hac compositione symptomata jam mortem indicantia vel prorsus evanescebant, vel saltem intermittebant et brevi tempore post aegrotus in revalescentiam ductus in integrum est restitutus. Haud raro pneumonia uterum corripuit, quem semel cruciavit, quo fit, ut pneumonias recidivas et habituales saccharum saturni impediret et extingueret. Addit Ritscher et qui eum secuti sunt saccharo saturni medicamenta, quae temperant et frangunt saturni in systema nervosum vim diram et vehementem, cujus generis sunt opium et digitalis, quibus narcoticis adjectis, ut verisimillimum est, crises subintrant. Aegrotantem enim pedetentim sumptis quibusdam hujus compositionis dosibus, dormientem profuso saepe sudamine madatum, paullo post urinam ita turbidam reddentem videmus, ut etiam dimidia matulae pars sedimento sit expleta; quibus crisibus benignis in pneumonia intrantibus aegrotum sanatum iri et diram morti evasurum esse, inter omnes sat superque constat, nam in crisibus largioribus et benignis totius pneumoniae cardo vertitur. Aegrotus per

multas horas bene dormit, experrectus dolorem sive aegritudinem quandam in pulmonibus non persentiscit, non dolet thorax, non crebro et celeriter tam oppressione quam punctatione pectoris spiritum ducit, non amplius rubet facies, rubent genae, non scintillant quasi oculi, pulsus antea quam minimus, filiformis, et mollis et frequens, nunc plenior, major et omni ratione melior redditur et bene se habet post somnum aegrotus. Saepe prodit convalescentia brevissimo temporis spatio, quae tamen non ubique tam celeriter consequitur.

Cautum et prudentem saturni usum in pneumoniis non solum nulla corpori humano detrimenta, sed etiam maxima commoda afferre ex morbi historiis, quas Ritscher et Berger, Cel. Eck et Wolff et Knipfer tradunt, elucere nobis persuasum est. At etsi Krueger-Hansen summum et unicum antiphlogisticum et quasi specificum in pneumonias remedium immodicis laudibus tollit saccharum saturni, ejus tamen morbi historiam diligentia accuratissima et fiducia carere patet; quin etiam ipse perpaucos, quos sanatos contendit, pneumonicos se ne vidisse quidem concedit. At vero tales historiae morbi inanes atque inutiles negligendae sunt.

Ex historiis morbi, recentioribus auxiliis quam optimis collectis a Ritscher, Berger et Cel. Eck has adhibendi plumbi acetici in pneumoniis prodire opinor indicationes: in desperatis pneumoniae casibus, in summo hujus morbi acumine, omnibus jam exhaustis remediis antiphlogisticis, in praesentissimo mortis periculo, si pulsus redditur parvus, debilis, vacuus, filiformis, celerrimus, si adest maxima oppressio pectoris et dolores quam vehementissimi in latere, si auscultatio et percussio vel

ultimum pneumoniae stadium, vel perniciosissimam pulmonum mutationem indicant, si expectoratio prohibita et summa dyspnoea, si profusissima intrant sputa sanguine tincta (sic nominata sputa ferruginosa), si summus virium et faciei collapsus adest; rebus ita se habentibus saccharum saturni porrigendum haud dissuadeo, quod experientia repetita nunc stabilitum atque confirmatum est.

Num in iis pneumoniis, qui typhum saepius subsequuntur, et in pneumoniarum sthenicarum in asthenicam transitu, et in iis, quibus gravidae haud raro cruciantur, quo statu venaesectiones, praesertim in ultimis mensibus, sunt maxime fugiendae, emolumentum afferat remedium, annon, experientia nondum satis est exploratum.

Jam historiam exponam aegroti cujusdam, quem benevolentia Exp. Knipfer vidi Confluentiae, quum vehementi pulmonum inflammatione affectus, plumbo acetico felicissime sanaretur.

HISTORIA MORBI.

J. R., viginti annos natus, valido corpore praeditus, die undevigesimo mensis Septembris anni praeteriti febris symptomatibus affectus est: horripilatione, insequenti calore, dolore capitis, vehemente siti, sine ulla tamen morbi in uno loco inhaerentis nota. Nocte autem, cum aegrotans ob majorem sitim sudans lectum relinquere coactus esset, pectoris latere punctiones a pectore ad spinam dorsalem sensit, quae movendo et spirando creverunt. Postero die iisdem doloribus in latere sinistro vexatus in nosocomium militare receptus est. Pressione externa in musculos intercostales adhibita dolores ali-

quantum, sed non multum aucti sunt. Caput doloribus vacat, lingua albide tecta, epidermis sudans, pulsus reactio valde moderata octoginta sex pulsus. Apponuntur cucurbitulae cruentae magno numero; in usum internum datur: Mixturae solventis ℥vi. Omni bihorio cochlear majus sumendum. Remittuntur dolores laterales per illam sanguinis detractionem, nec tamen permultum temporis. Insequenti enim die mane pulsus centum et octo ictuum, et vehemens reactio visa est una cum infausta aspera pectoris oppressione, magnoque dolore, si aegrotus altius inspiraret, et expectoratione difficili sputi glutinosi et cruenti s. d. ferruginosi. Epidermis fervida, sed humida ceteraque symptomata vehementis reactionis. Tunc auscultatio in sinistro pectoris latere parte anteriore et superiore murmur reddit respiratorium acutum. Ad partem inferiorem crepitatio, ad partem posteriorem in acumine aliquid crepitationis vesicularis circa ramos bronchiales magnos; cum arida crepitatione, quae jam processerat usque ad marginem inferiorem, jam respiratio bronchica, ad partem lateralem dimidio pectoris praeterea altius respirando interdum crepitationes coriaceae auditae sunt. Dexter quoque pulmo jam non liber erat, etenim in margine infero jam arida crepitatio audita est. Fit venaesectio libr. i et datur mixturae nitrosae ℥vi, tart. stibiati gr. i omni hora cochlear sumendum. Die XXII. m. Sept. Symptomata loci non imminuta. Aequa oppressio, sputa sunt cruenta, glutinosa, febris vehemens, pulsus multo minus plenus ac tensus quam die superiori. In parte sinistra hepatisatio usque ad acumen pulmonis processit, etiam pars inferior alae dextrae inflammatione correpta.

Aegrotus ex medicamentis vehementi alvi profluvio valde et vexatus et debilitatus est. Quam ob rem ordinabatur:

R. Infusi rad. Ipecac. (gr. vi) ℥iv.
Mucil. Salep ℥ii
Tinct. thebaic. ♃β
Nitri depur. ʒii.
Sacchari ℥β.

S. Omni bihorio cochlear sumendum est. Vesperi cum exacerbatione febris symptomata morbi localis aucta sunt, cum etiam in dextra parte phaenomena physica initium hepatisationis indicarent. Pulsus et vires nihil nisi unam venaesectionem permiserunt. Nox erat inquieta, diarrhoea cessit.

Die XXIII. Vires aegrotantis comminutae apparent, facies collapsa, situs quietus et passivus; mirum in modum juvenis languidus; celeriter et superficialiter respirat; pulsus centum et viginti ictuum, epidermis sudore lento, profuso, tecta. Tussis aegrotum vehementer vexat. Nihil ejicitur nisi paullum sputorum glutinosorum, ferruginosorum. Per totam partem sinistram posteriorem respiratio tubaria, etiam in parte dextra, quamquam non adeo processit, tamen usque ad acumen pulmonis extensa. Hepatisatio utriusque pulmonis, ad maximam partem, quare cum ob vires aegrotantis debilitatas methodum antiphlogisticam persequi non possemus, praescribebatur:

R. Inf. herb. digitalis (♃i) ℥vi
Plumbi acetici gr. vi
Tinct. thebaic. ♃i
Sacch. albi ℥β

M. D. S. Omni hora cochlear sumendum. Ad vesperum jam remissio adest, oppressio minuitur, expectoratio levatur, sputa minus glutinosa fiunt. Etiam pulsus ob respirationem tranquilliorem augetur et retardatur (ict. centum duodecim). Nox procedente multo melior. Aegrotus interdum somnum cepit.

Die XXIV m. S. Aegrotus, quietior, sommo recreatus; pulsus auctus et retardatus (octoginta octo ict.); expectoratio sputorum levior, sputa mucosa fieri incipiunt nec ita cruore tincta sunt. In pulmone sinistro jam crepitationes humidae inflammationis resolutionem indicant; pulmo dexter adhuc in hepatisatione. Medicamenta iterantur. Ad vesperum aegrotus meliore utitur conditione. Nox bona.

D. XXV. m. S. apparent symptomata vehementis ex digitali effectus; resolutio progreditur. Sputa cocta. Pulsus ictus numerat septuaginta sex. Nunc datur:

R. Decoct. Salep (℈i) ℥vi
Plumb. acet. gr. iii
Aq. amygd. amar. ʒiii
Sacchari ℥ß

M. D. S. Omni bihorio cochlear sumendum.

Jam die XXII symptomata inflammationis adeo cesserant, ut ad expectorationem augendam mixt. solv. dari potuerit. Febris omnino disparuit. Die XXX jam inf. senegae cum amm. mur. datur et mox ad remedia tonico-amara transitum est, ut vires aegrotantis morbo valde confectae recrearentur. Quamobrem valetudinem aeger lento recuperavit et die X. m. Oct. sanatus ex nosocomio dimissus est.

VITA.

Ego Leopoldus Carolus Kaul, a MDCCCXXI natus sum patre Carolo, inspectore Regii palatii Confluentiae, matre Rosalia e gente Petermann, quos hodieque Deus benignus mihi servavit. Confessioni addictus sum evangelicae. Disciplinis scholasticis Berolini in gymnasio Coloniensi, quod etiamnunc sub directore Ill. August floret, imbutus sum. Testimonium maturitatis adeptus anno h. s. XLI mense Septembri inter cives instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium hisce interfui scholis:

Cel. Beneke de logice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia medica, de pathologia generali, de medicinae historia, de Celsi libris; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Link de botanice, de historia naturali; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, de anatomia organorum sensuum; Ill. Mueller de anatomia et universa et pathologica et comparata, de physiologia; Cel. Reichert de evolutionis historia, de histologia; Cel. Eck

de semiotice et therapia generali; Ill. Mitscherlich de materia medica; Ill. Romberg et Ill. Schoenlein de pathologia et therapia generali; Ill. Horn de morbis psychicis; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi; Beat. Kluge de arte fascias rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali; Exp. Schoeller de arte obstetricia; Cel. Froriep de aciurgia.

Practicis exercitationibus me instituerunt: Ill. Mueller et Schlemm arte cadavera rite secandi; Cel. Froriep arte fascias rite imponendi; Ill. Schoenlein, Ill. Romberg, Cel. Wolff clinicis medicis; Ill. Dieffenbach, Exp. Angelstein, Ill. Juengken clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis; Exp. Schoeller exercitationibus obstetriciis.

Quibus viris omnibus summopere venerandis maximas quam possum gratias ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Arsenicum in curandis intermittentibus non rejiciendum.
2. Sane sunt remedia specifica.
3. Usus internus plumbi acetici non est improbabilis.
4. Qui vivunt methodice, vivunt pessime.